

Saxorum in cumulum tot quondam ingentia tecta  
 Cernitis ? en Urbis quondam cognoscite vestræ  
 Immanem diro prostratæ turbine casum ;  
 Et super his paulum juvet illacrymare ruinis .  
 Heu Patria , heu quondam Nutrix infusa tuorum ?  
 Non erat Illyricis florentior omnibus oris  
 Urbs alia , aut opibus tantum famaque vigebat ;  
 Ubertasque soli , multæque frequentia gentis ,  
 Nobilitasque Virum , atque omnes servata per annos  
 Libertas , cœlo tollebant , fortibus armis  
 Naturaque loci , murorumque obiice circum  
 Defensam a validis vicini incuribus hostis .  
 Tot rebus Fortuna bonis iavidit , & uno est  
 Conata excidio res vertere funditus omnes .

Tempus erat , vernis quo primas floribus herbas  
 Pingebat Natura , diemque ferebat ad Arcton ;  
 Jamque ea lux aderat , casum qua Fata parabant :  
 Horrentes cœlum nebulæ tegere undique visæ ,  
 Imber vicina tenuis de nube pluebat ,  
 Aequoris insueto subsederat unda recessu ;  
 Præterea auditæ gemitus sunt edere magnos  
 Montes , atque cavis altè mugire cavernis .  
 Ecce tremit moto subsultans cardine tellus ;  
 Nec mora , deficiente solo , jam prorita pessum  
 Labitur omnis , & immani resoluta ruina  
 Urbs ima consedit humo : se pulveris ingens  
 Protinus in cœlum nubes agit , atraque lucem  
 Involvit , noctemque refert . Quæ in turbine tanto  
 Mens animusque fuit , rerum in vertigine tanta  
 Deprehensis ? iterum Tellus concussa videtur  
 Jam trepidare , [animum quoquæ nunc ita concutit horror ]  
 Sub pedibusque labare solum , ruere ardua tecta  
 In caput : illa fuit quæ mens , cum saxa domorum  
 Alta solutarum pluerent super , imaque tellus  
 Hisceret , obrueret fragor aures , lumina caligo ,  
 Effugiumque malo septis urgente ruinæ

Ob-